

C. S. W.


88.

Nf. 117.

- Præf. p. 7.
- 1.) Disputatione Theologica de morte naturali. a. C. M. Pfaffio. Tübinger. 1722.
 - 2.) — — — de confirmatione Catechumenorum in ecclesiis August. Confess: addictus usitata. a. eod: ib. 1723.
 - 3.) — — — De coelo beatorum. a. eod: ib. 1722.
 - 4.) — — — De impersonalitate et perpetuitate humanae Christi natu- rae. a. eod: ib. 1722.
 - 5.) — — — De initiatione, expiatione, benedictione et confirmatione catechu- menorum. a. eod: ib. 1722.
 - 6.) — — — De Eucharistia contra Rogerium. a. eod: ib. 1721.
 - 7.) — — — De Nativitate Iesou. a. eod: ib. 1722.
 - 8.) — — — De erroribus Pfaffii. a. C. Alethaeo. 1722.]
 - 9.) — — — De recta Theologiae Typicæ conformatio[n]e a. C. M. Pfaffio. Tüb. 1723.
 - 10.) — — — De Cheirographo Pauli in favorem Onesimi ad Philemonem. a. eod: Lepidae. 1732.

307

42.



CHRISTOPH. MATTHÆI PFAFFII.

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARII,
PRÆPOSITI ET CANCELLARII TUBINGENSIS

HOMILIA
DE

NATIVITATE

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI,

IN VIGILIIS NATIVITATIS DOMINICÆ

A. MDCCXXI.

IN SENACULO ACADEMICO TUBINGENSI
CORAM PATRIBUS CONSCRIPTIS
ET ACADEMICORUM UNIVERSITATE
RECITATA,

quam

SUB EJUSDEM PRÆSIDIO

CHRISTOPHORUS JACOBUS GUTERMANNUS,
Biberacensis,

Philosophie Magister & sacrarum literarum Cultor
IN AUDITORIO JURIDICO
ventilationi publicæ sittet.

T U B I N G A E
literis Viduae JO. CUNRADI REISII.
A. MDCCXXII.

III.

No. 194.

BENEVOLE LECTOR.

Damus tibi h̄c Orationem nuperimē in nativitatis Dominicā vigiliis in senaculo Academicō recitatam. Ita quippe apud nos laudabilis prorsus fert consuetudo, ut quotannis eo tempore animi Academicorum ad cœlestē istam sanctamque meditationem oratione à Professore Theologiz ordinario habendā p̄parentur. Nec ex communi quoque orbitā excedimus, quod eandem luci publicæ exponimus, aut agimus h̄c, quod modestiæ leges excedit. Etenim, cūm viderimus, non sine ædificatione & bonis Auditorum motibus ista à nobis dicta esse, * cūm & constet nobis, beatos Antecessores nostros orationes cādem occasione recitatas publicæ luci exposuisse, ** non dubitavimus & nos, homiliam hanc literis publicis excusam dare. Quin & , cūm ea subinde h̄c occurrant, quæ ventilatiō nem quoque academicam experiri possint, libelli disputatorii loco eandem clarissimo Domino Respondenti tradidimus, ut colloquio theologico cum amicis publicè instituendo eandem exponat. Cui in situo nostro ut ex alto Deus faveat, precamur.

* Quinimò & Anonymum illum, qui nobis insalutatis nostrum vitæ curriculum Germanicè Jenæ priore anno edidit, idemque insertis subinde immaturis & jejanis & ad modestiæ literariæ leges haud exigendis judicis contaminavit, videmus, egregatione de oratione illâ , quam ante triennium in vigiliis nativitatis Dominicā habuimus & quæ syntagmati dissertationum nostrarum Stutgardiano affixa est, sententiam tulisse. Vide recensionem scriptorum nostrorum n. XXVI.

** Ita TOB. WAGNERUS tres orationes natalitiam 1. de creatu Papistarum Trinitate Jesu, Marie, Joseph, 2. de Esajano Principe Pacis Jesu Christo, 3. in oracula Sibyllarum de Christo h̄c loci A. 1664. edidit. Ita & JO. AD. OSIANDER orationem natalitiam de stella insolita, duce & luce Magorum A. 1664. luci dedit. Idem & ideam lapidis miraculosi in memoriam nativitatis Domini h̄c loci A. 1667. exhibuit. Ita denique celeberrimus Vir MICH. FOERTSCHIUS orationem natalitiam de partu Marie ut mysterio clamoris in silentio Dei dissertationum fœlectarum Tubingenium Decadi adjunxit.



MAGNIFICE DOMINE RECTOR,
 ILLUSTRISIMI DOMINI COMITES,
 SENATORES AMPLISSIMI,

Viri summè reverendâ dignitate sacrarumque literarum scientiâ, consułendi jurisque dicendi promptitudine & dexteritate, medendi experientiâ, philosophandi soliditate & acumine, scientiarum, artium linguarumque optimarum doctrinâ omnigenâ excellētissimi celeberrimique, vosque Auditores reliqui decentibus omnes titulis compellandi, qui piâ mente ducti ad penitus considerandum incarnationis Dominicæ mysterium atque ad animos vestros in crastinum diem festum eò melius præparandos in hoc senaculum jam promti alacresque confluxisti,

Mininet jam, imminet nobis magna illa & auspicata & læta & beata dies, quâ incarnationem nativitatemque Salvatoris optimi, in quo unico tota salus nostra omnisque felicitatis nostræ origo & fundamentum positum est, piâ sanctâque mente recolemus atque celebrabimus. Quæ ipsa cogitatio ubi animos nostros hodie obambulat atque mirâ quâdam suavitate & lætitia jam perfundit, facile utique, quicunque sapimus, quicunque & insigni quâdam, quâ opus est, salutis nostræ curâ tangimur, capimus atque comprehendimus, illo tis manibus tantum negotium adgrediendum haud esse, sed sollicitè heic præparandas esse mentes nostras, ut tantum Salvatorem, quo major & præstantior exspectari haud poterat, nec cogitari potest, dignis modis excipiant & venerentur. Etenim, ut, quod res est, dicamus, nihil excelsius unquam, nihil subliius, nihil, quod tanta admiratione animos nostros perfundere possit,

A

offerre

offerte se nobis obviumque fistere potest, quā id ipsum, de quo nunc
 verba facere incipimus, incarnationis Dominicæ mysterium, ubi Deus
 ipse, qui naturā videri nescit, carne nostrâ obumbratus atque involu-
 tus visendum se nobis præbet, ubi, qui Deus in altissimis est, quem
 omnium cœlorum cœli comprehendere nequeunt, cunis & fasciis
 comprehendere patitur, ubi, qui ditissimus est totiusque orbis, quantus
 quantus iste est, Dominus, humilitatis infimæ pallio sese obvolvit, ut nos,
 qui gratiâ divinâ nostrâ culpâ summâ excideramus, ad possessionem
 æternæ gloriæ & beatitudinis rursus assurgeremus, ubi denique, qui
 damnationis semper duraturæ & exilii a facie divinâ perpetui can-
 didati eramus, liberationem redemtionemque præstantissimam, por-
 tam beatitudinis referatam adapertamque omnesque felicitatis omni-
 genæ ac incomparabilis thesauros unâ cädemque vice nobis reclusos
 invenimus & admiramur. Quis verò est nostrûm, *Auditores optimi*,
 qui per incarnationem Redemptoris excellentissimi tantam nobis
 gloriam partam esse conspicit, qui & animadvertis, quā felix, quā
 beata hæc sit rerum nostrarum revolutio, quā macti ex malorum no-
 bis incumbentium horrendo barathro in inenarrabilem atque omnes
 spes nostras infinitis parasangis superantem felicitatem sic transiimus,
 quis, inquam, est nostrûm, qui hæc considerat, cuius pectus in gaudia
 summa haud jam diffundatur, cuius animus in penitiore tantæ beatitudo-
 dinis eoque anticipato gusto jam haud tripudiet, qui non in bra-
 chia tanti Salvatoris puerique hujus & infantis cœlestis exultabundus
 jam ruat, qui denique magnâ fide & pietate omnigenâ tantam salu-
 tem, quæ heic nobis obvia fit, haud adprehendat, atque linguâ in
 laudes & encomia Salvatoris hujus summi totâ resolutâ vocem suam
 cantibus Angelicis, quibus mysterium hoc omnium confessione ma-
 ximum celebratur & évehitur, haud misceat operamque det, ut &
 ipse dignus, qui in consortium istud cœleste veniat, hodie inveniatur.
 Scilicet, quod Pastoribus Bethlehemitis annunciat de cœlo magnum
 gaudium Angelus, quæ & eosdem olim, cùm nasceretur mundi Sal-
 vator, circumfulsit cláritas, eadem & hodiè mentibus nostris, nisi qui-
 dem nobismet ipsis obesse & tantam lucem, clausis oculis, mirâ im-
 pietatis haud excusandæ stultitiâ negligere infelices velimus, fausto
 omine

omine illucescit, idem gaudium & nobis jam annunciat, natum
 quippe & nobis esse Salvatorem, Christum Dominum in civitate Da-
 vidi. Itaque & in eadem jam gaudia ut transeamus inque eundem
 affectum, quo iidem infantem Jesum quælivere, nostrarum utique, ut
 arbitror, partium, nostri, quo obstringimur, officii summa pars est.
 Sed & gaudia hæc nostra ut ora resolvant nostra, ut in apicum pro-
 deant, ut publicè, ut solemniter, ut magno cum exultationis & tripu-
 diorum æstu inter nos resonent, pars est. Laudandus itaque est, qui
 tantam in Salvatore nobis salutem peperit, Dominus & super æthera
 evehendus &, quantis quidem ex toto pectori atque ex omnibus virtu-
 bus nostris postulamus, modis deprædicandus, efferendus, prosequen-
 dus, glorificandus, sanctificandus, extollendus, commendandus, co-
 lendum, adorandum, exoseulandum, devenerandum est. Eja, magnificet
 jam anima nostra Dominum & exultet spiritus noster in Deo, Salva-
 tore nostro, quoniam respexit ad humilitatem servorum suorum, jam
 enim ex hoc tempore beatos nos prædicabunt omnes generationes,
 quia fecit nobis magna, qui potens est, & sanctissimum est nomen
 ejus, & misericordia ipsius vadit in generationes generationum timen-
 tibus eum, ostendit potentiam in brachio suo, dispersit superbos men-
 te cordis sui, depositus potentes de sede & exaltavit humiles, esurien-
 tes implevit bonis & divites dimisit inanes & suscepit nos filios suos,
 ut ipsius misericordiam deprædicaremus. Benedictus sit Dominus,
 Deus Iſraël, quia visitavit populum suum & fecit redēmptionem plebi
 suæ, & erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, sicut lo-
 cutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum suorum,
 salutem ex inimicis nostris & de manu omnium, qui oderunt nos, ad
 faciendam misericordiam cum Patribus nostris & ad memorandum
 sanctum testamentum suum, iurandum, quod juravit Abrahamo,
 Patri nostro, daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum
 nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate & justitiâ coram ipso
 omnibus diebus nostris, ad dandam scientiam salutis plebi suæ in re-
 missionem peccatorum nostrorum per viscera misericordiae suæ, in
 quibus visitavit nos & circumfulxit oriens ex alto, ad illuminandos
 nos, qui in tenebris & in umbrâ mortis federamus & ad dirigendos

A 2

pedes

pedes nostros in viam pacis. Qui verò sic jam sub initium statim orationis hujus nostræ in laudes Domini Dei nostri toti effundimur, & ex abundante pectoris divinâ istâ latitiatâ prorsus perfusi fundo gaudia nostra ita eloquimur atque anticipamus, atque etiam gaudiorum horum nostrorum participes vos reddere, *Auditores optimi*, toti gestimus, facile intelligimus, argumentum istud, quod tantam vobis ædificationem parere potest, quo & animi vestri miris modis sanctificari atque meliores reddi possunt, latius nobis diducendum atque explicandum jam esse, eo fine, ut eò solidior, ut & eò sanctior vobis latitia hæc constet, ut que officia illa, quæ ex meditatione hæc sacrâ proximo alveo & suâ sponte manant, eò penitus pectoribus vestris inscribantur atque in corundem intimis medullis & fibris profundissimè infixa hæreant. Agite itaque, *O mei*, jam enim ad cor vestrum nostra oratio se vertit, quæ ex pectori nostro in vestrum transire tota anhelet, agite, inquam, & nativitatis Dominicæ admirandum mysterium salutemque ex eâ in nos largissimo fluxu descendentem, porrò & officia illa, quæ nobis heic incumbunt & quæ incarnationis Dominicæ sanctior meditatio nobis dicitur, attentâ mente jam considerate atque in succum vestrum & sanguinem spiritualem alacres atque exultabundi convertite. Quod ipsum ut fiat, dum efficere jam conamur, ante omnia auxilium divinum, sine quo prorsus nihil valemus, gratiamque Spiritus S. conjunctis atque coadunatis in unum precibus nostris densatâque pietate intensisque omnibus devotionis nostræ desideriorumque spiritualium nostrorum nervis supplices deponscimus.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Perfunde tuâ gratiâ,
Quæ Tu creâsti pectora. Amen!

Verbum caro factum est & habitavit in nobis & vidimus gloriam ejus, gloriam sicut unigeniti de Patre, plenum gratiæ & veritatis „Non mea est, *Auditores optimi*, sed Johannis Apostoli dictio, quâ stylo prorsus sublimi & verè magnifico admirandam Domini nativitatem nobis sub initium Evangelii sui latus enarrat. Quod ipsum mysterium ubi attentius investigare jam & ponderare peni-

penitusque inspicere gestimus, facile illisq; in exordio explicationis nostræ capimus, comprehendendi illud ab intellectu finito & humano & viatoris maximè haud posse atque omne ingenium humanum, quantumcunque ejus præstantia & capacitas sit, longissimè infinitisque para-sangis supergredi. Qui enim, dum incarnationis Dominicæ myste-rium spirituali obtutu nostro jam fistimus oculisque mentis nostræ, divinitùs licet illuminatæ, iisque attente in rem præsentem, quantum possimus, defixis contemplamur, ubi sub initium statim in profundissi-um amoris & sapientiæ divinæ, quæ duo attributa heic fæse mirificè exosculanda præbent & manifesta reddunt, mare labimur, non pos- sumus non pro cå, quæ nos imperfectione istâ circumdatos deceat, mo-destia eloqui nostri infantiam illicò profiteri atque in admiratione & silentio heic pedem enarrationis nostra sistere. Quin ita profe-ctò comparata est mysterii hujus adorandi sublimitas & majestas, ut ne quidem id, quod de eo in intimioribus pectoris nostri recessibus sentimus, gustamus atque intelligimus, eloqui nobis, quæ lingua nostra infirmitas & paupertas est, detur. Nec tamen est, quod existi-memus, penitus tacenda heic illa esse, quæ genuinam nobis de incarna-tione Domini ejuusque nativitate ideam formant. Et si enim totum hoc mysterium perfectè à nobis concipi nesciat, plurima tamen sunt, quæ & nosse heic possimus & nosse quoque, ne in errorum gravio-rum laqueos incauti incidanus, debemus. Hinc rectè omnino sapienterque Leo, Episcopus quondam Romanus præstantissimus, con-tra hæreticos veteres ubi de hoc negotio disputat, scribit: Non in so-lo opere virtutis aut in solâ observantiâ mandatorum sed etiam in trame fidei augusta & ardua via est, quæ dicit ad vitam, & magni la-boris est magnique discriminis, inter dubias imperitorum opiniones & verisimiles falsitatem per unam sanæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare, & cum undique se laquei erroris opponant, omne periculum evadere,* Scilicet, qui veteris Ecclesiæ historiam nōrunt, eos fugere non potest, quot & quantis erroribus ad hallucinationibus hæretici olim hoc incarnationis Dominicæ mysterium vastaverint at-

A 3

que

* serm. s. de nat. Domini.

que corruerint. Jam verò, si heic saltem, quæ necessaria sunt, ut hoc argumentum primis tantum labris degustemus, dicere velimus, ipsimet conspicitis, *Auditores*, in quem & in quām prolixum eruditioonis Theologicæ campum nobis jam detur exspatiari. Conabimur tamen, si placet, quæ diffusa oratione dici possent, in brevem dictio-
nis nervum constringere. Et verò decem omnino hæresium exi-
stunt capita, incarnati verbi inimica dogmati. Primi, qui heic hal-
lucinantur, sunt illi, qui nullam penitus hominis cum Deo verbo con-
junctionem esse factam arbitrati sunt, ut Photiniani & Samosateni. Se-
cundi sunt ii, qui specietenus & imagine naturam hominis à Deo su-
ceptam esse volueret, Δοκτῆται olim nominati, ut Valentiniani, Mani-
chæi & similes. Tertio loco censentur, qui unam in Deo personam
impiè professi eandem in carnem incluerunt aut quoquomodo Trinita-
tem ipsam, Patrem certè, hominem esse factum putarunt. Quartus
eorum est error, qui verbo Filioque soli eas partes mandarunt in-
duendi hominis sed illius divinitatem naturâ itidem ut personâ, di-
versam à Patris divinitate finixerunt, ut Ariani, quorum & alia heic la-
bes sunt. Quinto loco ponendi sunt, qui corpus è cælesti materiâ
delibatum tribuunt Christo & communi negant carne constare, ut
Apelles aliisque tūm veteres tūm recentiores sensere. Sexto, qui
duas ante junctionem naturas fuisse docuere, post eam, nonnisi unam
sive alteram è duabus, absorptâ extinctâque alterâ, sive conflatam è
duabus tertiam, cuius secta coryphaeus Eutyches fuisse dicitur. Se-
ptima classis eorum exsistit, qui unicam perinde naturam in Christo
sed inferiorem professi sunt & hominis propriam, verbum autem non
ei propriè & substantivè conjunctum prædicant sed χειρῶς & extrin-
secus adhærens, uti Nestorius fecisse creditur. Octavi sunt, qui hu-
manæ naturæ parte integrâ mutilant Christum, ut Ariani, qui ver-
bum animæ instar illi esse dixerunt. Nonum locum obtinent, qui
ejusdem animæ partem solummodo detrahunt, ut Apollinaristæ, qui
mentem & animam à se mutuè separantes solam posteriorem Christo
vindicant, mentis autem vice Verbum eidem fuisse censem. Deci-
mo ac postremo loco commemorandi sunt, qui solam conjunctam
aliquando cum Verbo esse animam statuunt, quod Origenis commen-
tum

tum fuit „* Jam hæresibus hisce omnibus tanquam præstantissimum quoddam fidei sanctioris, quæ simplex est nulloque falsitatis fuso obducta, propugnaculum opponi debent veteris Ecclesiæ definitiones ex sacris literis divinâque veritate oriundæ, quibus Christus verus Deus Patrique consubstantialis & coæternus, idem & verus homo prædicatur, duabus naturis iisque perfectis in unam personam eamque divinam coëuntibus. Ita profectò Chalcedonensis Synodus unum & eundem confitetur Filium Dominum nostrum Jesum Christum, perfectum eundem in divinitate & perfectum eundem in humanitate, Deum reverâ & hominem reverâ eundem ex animâ rationali & corpore constantem, consubstantialem Patri secundum divinitatem & consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato. Nec est quod hæc ipsa, quæ evidentissimè & ipsæ sanctiores paginae efferunt, secum invicem consistere haud posse arbitremur, cum potius res ipsa, ut Servator hic noster ex geminâ istâ & divinâ & humanâ naturâ consociatus sit, requirat & postulet. Id quod jam inter antiquiores Novatianus sapienter agnovit, qui ita ingeniosè insit: Utrumque in Christo confederatum est & utrumque coniunctum est & utrumque connexum est. Et meritò, dum est in illo aliquid, quod superat creaturam, sancta in illo divinitatis & humilitatis videtur esse concordia. Propter quam causam, qui Mediator Dei & hominum effectus exprimitur, in se Deum & hominem sociasse reperitur „** Addit aliam rationem eamque præstantissimam Arnobius, qui hanc in sententiam fatur: Quis est enim mortalium, qui quereret eum videre, quis cernere, si tales volueret inferre se terris, qualis ei primigenia natura est, & qualem se ipse in suâ esse noluit vel qualitate vel nomine? Assumfit igitur hominis formam & sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit, ut & videri posset & conspiciri, verba faceret & doceret atque omnes exsequenter res eas, propter quas in mundum venerat faciendas, *** Nec minus

* Et ita quidem horum errorum numerum iniit DIONYSIUS PETAVIUS, S. J. qui in Theologicorum dogmatum Tomo V. magnâ eruditione hæreses istas & recensuit & debellavit.

** Novat. de Trin. C. 16. *** adv. gentes L. I.

minus acutè Hilarius: Mediator ipse in se ad salutem Ecclesie constitutus & illo ipso inter Deum & hominem Mediatoris sacramento utrumque unus existens ipse ex unitis in id ipsum naturis naturæ utriusque res eadem est, ita tamen, ut neutro careat in utroque, ne forte Deus esse nascendo desineret & homo rursum Deus manendo non esset,,,* Et alibi idem : ** Qui Filius hominis est, idem & Filius Dei est. Natura generositatis in Filii hominis assumptione non deperit. Nam non idcirco non Dei Filius, quia & hominis est Filius. Non enim cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio, nec per consortium infirmitatis contumeliam virtus exceptit, quippe cum infirmitas honore sit donata virtus,, Nec egregie minus Ambrosius in libro de incarnatione: *** Generalis est ista fides, quia Christus est Dei Filius & sempiternus ex Patre & natus ex Virgine. Quem quasi gigantem sanctus David Propheta describit, eò quod biforis geminæque naturæ unus sit consors divinitatis & corporis, qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultavit tanquam gigas ad currēdam viam: sponsus animæ secundum verbum, gigas terræ, quia usus nostri officia percurrens, cum Deus semper esset æternus, incarnationis sacramenta suscepit, non divisus sed unus, quia utrumque unus & unus in utroque hoc est vel divinitate vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Generatio generationi non præjudicat, nec caro divinitati,, Hactenus Ambrosius, qui & in hymno in natalem Domini Christum geminæ gigantem substantiæ nuncupat à Leporio heic in libello emendationis in imitationem tractus. Scilicet Deus Dei Filius, ut Zenonis Veronensis **** verbo utamur, tempore constituto, dissimulata interim maiestate ab ætherea sede profectus in prædestinata Virginis templo sibi metatur, quibus latenter infunditur, in hominem gignitur, ibidemque salvo, quod erat, meditatur esse, quod non erat. Mixtus itaque humanæ carni se fingit infans, Nam, ut mox idem ***** docet, hæc est potestas Dei, ut salvo, quod

* L. 9. de Trin. ** in Psalm. 2. *** C. 4. **** Serm. 2. de nat. Domini. ***** Serm. 3.

quod est, possit esse, quod non est. Hic est Deus noster, æterni Dei coæternus filius. Hic & homo & Deus, quia inter Patrem hominesque adstitit medius, probans infirmitatibus carnem & virtutibus majestatem „ Et verò facile capit quivis, quām præstans, quām congrua fuerit ad redēmptionem humani generis Verbi incarnatio. Haud dici potest, quantā cum dictionis præstantioris emphasi hanc veritatem efferant veteris Ecclesiæ doctores. Eja, ex amplissimo & prolixo testimoniorum ubivis occurrentium fundo flores quosdam jam decerpamus, quantum quidem instituti nostri permittit temporisque, quo constringimur, brevitas. En quid ajat Leo, magni inter veteres nominis Pater: * Ut ergò ad æternam beatitudinem ab originalibus vinculis & à mundanis revocemur erroribus, ipse ad nos descendit, ad quem nos non poteramus ascendere, quia, eti multis inerat amor veri, incertarum tamen opinionum varietas fallentium dæmonum decipiebatur astutiâ & falsi nominis scientiâ in diversas compugnantesque sententias humana ignorantia trahebatur. Ad auferendum autem hoc ludibrium, quo captivæ mentes superbienti Diabolo serriebant, non sufficiebat doctrina legalis nec per solas cohortationes propheticas poterat natura nostra reparari sed adjicienda erat veritas redēmptionis moralibus institutis & corruptam ab initio originem novis renasci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ & nostri generis socia & nostræ contaminationis esset aliena, ut hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Jesu Christi placuit nativitate ac passione delere, ad omnium generationum secula pertineret, nec turbarent nos sed potius confirmarent mysteria pro temporum ratione variata, cùm fides, quâ vivimus, nullâ fuerit ætate diversa „ Idem Leo mox alibi: ** Exultent ergò in laudem Dei corda credentium & mirabilia ejus confiteantur filii hominum, quoniam in hoc præcipue Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam suus conditor æstimârit. Qui cùm origini humanæ multum dederit, quòd nos ad imaginem suam fecit, reparacioni nostræ longè amplius tribuit, cùm servili formâ ipse se Dominus coaptavit.

B

Quam-

* serm. 3. de nat. Domini, C. 3. ** serm. 4. C. 2. 3.

-2-n

Quamvis enim ex unā cādemque pietate sit, quicquid creaturæ Crea-
tor impendit, minus tamen mirum est, hominem ad divina profice-
re, quām Deum ad humana descendere. Hoc autem nisi facere
dignaretur omnipotens, nulla quenquam species justitiae, nulla forma
sapietiae à captivitate diaboli & à profundo æternæ mortis erue-
ret. Condemnatio enim ex uno in omnes cum peccato transiens
permaneret & lethali vulnere tabefacta natura nullum remedium re-
periret, quia conditionem suam suis viribus mutare non posset. Pri-
mus namque homo carnis substantiam accipit è terrā & rationali spi-
ritu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem & si-
militudinem auctoris sui vivens formam Dei bonitatis atque justitiae
in splendore imitationis tanquam in speculi nitore servaret. Quam
naturæ sua speciosissimam dignitatem si per observantiam legis datae
perseveranter excolet, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad
celestem gloriam perducet. Sed quia invito & deceptori temere
atque infelicitate credit & superbie consiliis acquiescens repositum
honoris augmentum occupare maluit quam mereri, non solum ille
homo sed etiam universa in illo posteritas in peccatum & mortem in-
cidit. Ad hoc itaque peccati & mortis vinculum resolvendum omni-
potens Dei Filius, omnia implens, omnia continens, æqualis per
omnia Patri & in unā ex ipso & cum ipso consempiternus essentiā
naturam in se suscepit humanam & creator ac Dominus omnium re-
rum dignatus est unus esse mortalium, electa sibi matre, quam fecer-
rat, quæ salvā integritate virginē corporeæ esset tantum ministra
substantiae, ut humani seminis cessante contagio novo homini & pu-
ritas inesset & veritas,, Dies nos deficeret, Auditores, si quæ de hoc
argumento unus Leo habet, heic enunciare vellemus. Ast audias-
mus & alios Patres. En Vigilium ita disputantem: * Quia trans-
gressione mandati inimici Dei extiteramus & in contrarium animis
discordantibus vergebamus, à supernis declinantes & ad ima tenden-
tes, necesse fuerat, interventu miserationis divinæ solutis inimicititiis,
contraria in unum revocari & supernis ima restitui, quod non aliter
fieri

* L. 5. contra Eutychem.

fieri potuit, nisi talis mediator existeret, qui de cœlestibus veniens
couniretur terrenis, retinens in se id, quod non erat,, Ita & Hono-
rius Augustodunensis: * Quid autem Filius Dei est incarnatus seu
pro homine immolatur, quantum ad ipsum, sola fuit voluntas,
quantum ad hominem, summa necessitas. Nisi enim hic incarna-
retur, ille nunquam salvaretur,, Ita & Augustinus **: In quo non
est peccatum, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset & in il-
lo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret,, Sed lucu-
lentius hæc omnia ducit Fulgentius ***, qui ait, nec ab homi-
ne nec ab Angelo vel univerſe ab nullâ creaturâ potuisse liberari
hominem. Quis enim, ita ille, quis homo, ait, posset existere medi-
cus humani vulneris, cùm omnes in radice vitiâ communio cir-
cumpletearetur vitiâ naturalis? vel qualiter posset per se solum me-
delam vulneratis afferre, cuius ortus teneretur in vulnere? quo ve
modo beneficæ largitor universalis existeret, quem alienæ opis in-
digum natura monstraret?,,, Sed nec Angelico subsidio reparationis
hoc munus præstari potuisse mox idem afferit. Angelica quippe natura
nunc homini reparando aliquatenus esset idonea, si cadendi mobili-
tate nunquam naturaliter fuisset obstricta, cùm verò se juvaminis ege-
nam confubstantialis ruinæ documento testetur, profectò cognoscitur
multò minus ad humanæ possè redintegrationis efficaciam redundare,
quæ propriæ nequeat stabilitati sufficere,, Ex quibus dein con-
cludit idem Fulgentius, illam naturam solam Angelos cæteros à lapsu
continere potuisse, quæ peccare nequeat. Profectò cognoscitur, inquit,
uniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellét à ca-
supravitatis virtus illa defendere, quæ sola naturaliter mutari depravari-
ve non posset,, Unde univerſe ac de homine perinde ac Angelo pro-
nunciat sic: Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia
non alia stantem Angelum à ruinâ potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum
hominem post ruinam potuit reparare,, Eadem in sententiam fatur
quoque Proclus, Episcopus Constantinopolitanus in homilia quadam
in beatam Virginem, ubi, duorum, inquit, alterum oportebat fieri, vel

* de prædest. & lib. arbitrio. ** in Psalm. 129. *** L, 2. ad Traſimundum C. 2.

omnes sententia mortis subjici, quia omnes peccaverunt, vel ejusmodi premium rependi, quod ad illam rescindendam damnationem pleno jure valeret. Jam vero salutem homo conferre non poterat: quippe qui & ipse peccati debitum contraxerat. Sed nec Angelus humatum genus potuit redimere. Nam talis pretii inops erat. Restabat igitur, ut pro iis, qui peccaverant, impeccabilem mori opteret Deum. Id enim supererat unicum, ita quidem ille, mali remedium „ Eleganter & Gregorius Romanus: Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus intervenire potuisset, quia nimis alienæ pollutionis contagia non tegeret, si propria sustineret „ Atque etiam Athanatus: * Neque enim ullius erat alterius hominem cum Spiritu S. conjungere, quam tui ipsius, qui es imago Patris, ad quam ab initio conditi sumus. Nam creatarum natura rerum ad id praestandum non erat idonea, cum & Angeli prævaricati sint & homines mandato non obediverint. Properea opus erat ipso Deo, Verbum autem Deus est, ut maledicto subjectos liberare posset „ Scilicet urgent vel maximè hic Patres veteres id, quod & hodiè sollicitè nostri monent, meram creaturam justitiae divinae per peccatum laxasse satis quod est facere haud potuisse. Etsi enim inter veteres quoque magnus eorum sit numerus, qui ajant, alios modos Deo suppetuisse, quibus salvari potuisset genus humanum, quam incarnationem Filii, quorum utique in censu sunt Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoreus, Jo. Damascenus. Leo M. Gaudentius, Bernhardus, Guitmundus, Petrus Cellensis aliquique plurimi, quos deinde Thomas Aquinas & Scholastici sunt infecuti, ethi, inquam, plurimi sunt Patrum & quidem primæ inter eos magnitudinis stellæ doctoresque summi, qui necessitatem incarnationis saltē hypotheticam, non absolutam statuerunt & quorum testimonia utique heic daremus, nisi ad alia nobis properandum jam esset oratioque in brevitatem contrahenda, nullus tamen est, qui per creaturam meram effici redēctionis opus potuisse statuat, etsi existimat, foliā voluntate suā Deum, si voluisset, lapsō genere humano salutem medelamque adferre potuisse. Quiequid autem hujus rei sit, de quā nunc locus tempusque disceptandi non est, laudamus nos Deum atque evehimus, quod cum redimendi modum

* Orat. 2. de nativitate Domini.

dum adhibere h̄ic eamque rebus nostris cassis medicinam applicare voluerit, quæ longè præstantissima est & quæ amplissimos bonitatis, misericordia & amoris, quo ipse nos complectitur, thesauros recludit, quæ omnia attributa divina & vel maximè sapientiam Dei nobis tām egregiè conspiciendam degustandamque præbet. Etenim, si, ut ab extremo initium faciamus, cur Filius Dei præ ceteris personis incarnatus fuerit, quæsiveris, facilem quæstionis solutionem habes, fācū id esse, ne plures in Trinitate filii existerent atque ut per Filium genus hominum lapsum recrearetur, per quem & erat conditus, & quoniam in operibus divinis præcipuis ordo Filio redēptionem imponit, & si insistas, cur à creaturā simplice redēntio fieri haud poterit, illicò h̄ac tibi responsio dabitur, factum id esse, ne maiore beneficio obstricti huic essemus, quam Deo. Et magna profectō sapientiæ divinæ in incarnationis Dominica mysterio profunditas & altitudo latere debet, cùm nihil sit in mundo h̄ac incarnatione mirabilius, nihil, quo potentia, quo virtus divina, quo justitia divina, quo justitiæ hujus cum bonitate ejus & misericordiâ amicum commercium magis manifestatum fuerit. Etenim tres mixturas, tria opera fecit omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt invicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Admirabiles sunt iste mixturae & omni miraculo mirabilius, quomodo tām diversa tāmque divisa ab invicem potuerint conjungi, * Miscentur enim h̄ic, quæ misceri haud posse dixeris, ac non solum nativitatē Deus & mens carni & temporis, quod expers est temporis, & mensuræ, quod circumscribi non potest, jungitur, sed etiam virginitati generatio, ignorinia ei, quod honore omni præstantius est, & passioni, quod pati nihil potest, & corruptibili id, quod immortale est & incorruptum. ** Imò profectō & hoc sapientiam Dei & potentiam summam manifestam reddit, quod ad tanti operis, qualis est redēntio hominum, motionem adminiculō & instrumento usus ille est vili inprimis & per se minimè omnium idoneo, corpore humano nempe, fragili & passibili.

B 3

* Bernh. serm. 3. de vig. nat. Dom. ** Gregor. Naz. Orat. 39.

sibili. Ut enim præstantissimi artifices non solum in pretiosâ aliquâ materiâ artem suam cum admiratione omnium ostentant sed vilem plerumque ceram ac lutum, quod solvitur, arripientes artis suæ in eâ vim exhibent coque multo amplius collaudantur, sic optimus omnium artifex, vivum & efficax DEI verbum, quod universitatem hanc mirâ ordinis concinnitate digestit, non pretiosâ aliquâ materiâ h. e. cœlesti sumto corpore ad nos venit sed in luto excellentiam suæ artis ostendit, dum ex luto formatum restauravit hominem. * Jam & hoc fuit sapientiæ divinæ, quod objectâ carne velut escâ quâdam & illecebrâ potentissimum hostem captus & devoratus cepit & viatum fractumque potentia spoliavit. Scilicet, quoniam vitii auctor ille calidus invictum se esse putabat, postquam spe divinitatis inescaverat nos, ideò & carne objectâ velut escâ illectus est ipse: ut in illum tanquam in Adamum incurrens in Deum incideret atque ita novus Adam veterem recuperaret atque hoc modo carnis damnatio solveretur, dum mors morte perimitur. ** Ast quis quæso sapientiæ altitudinem & profundum mare illud, quod illa heic effudit, dignâ dictione jam exhauserit? Jam verò & vel maximè in opere incarnationis divina se justitia mirificè manifestavit. Peccaverat enim primus homo suo vitio & inobedientiæ lapsu & propriæ voluntatis impulsu, seductus à Diabolo, non coactus. Conditio ergo humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda sed pretio. Potuit autem Filius Dei hostem humani generis & in celis positus nutu ipso suæ divinitatis elidere. Sed ne quid tale diabolus conqueri posset, placuit Deo secundum justitiam suam pro humano genere offerre hominem purum & immaculatum. *** Scilicet, cum Diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator potentiarum & desertor oppugnatorque justitiæ, congruum erat, ut propter eruendum hominem de Diaboli potestate, non potentia Diabolus sed justitiâ vinceretur. **** Neque enim, si naturali robore utens advenisset, admiratione facere quicquam dignum videri potuisset Deus, cum

* Verba sunt Theophili Alex. in epist. pasch. 6. ** Gregor. Naz. Orat. 39.
 *** August. L. 13. de Trin. **** ibid.

cum apostatā Angelo congregiens. Imò è contrario istud in superbiam illum extulisset, tanquam Deo par cognitus esset adversarius. Meritò itaque vilitate usus hominum illius insolentiam depressit & victoriæ trophæum ac titulum in nos transtulit. „* Taceo, in eo præcipue justitiam divinam, ut alia jam mittam, sece exeruisse, quòd gravius peccatum majorique peccatum plecere haud poterat Deus, quām in Filio, cuius solius humeri exantlando pœnarum nobis debitaram infinito cumulo, & ferendo erant. Sed ante omnia alia attributa bonitas & misericordia & humanitas Dei plenâ facie suâ & retractis in totum velis conspiciendam se nobis hîc præbuit. Ecce enim, qui in profundo damnationis barathro, è quo exitus nullus apparebat, in quo infelicitatis & miseriæ omne genus utramque pagiam facit, miseri jam cubabamus, qui peccatis nostris, è quibus emergere nostrâ operâ haud poteramus, Dei vindictam novam in nos non poteramus non perpetuò provocare, qui Diaboli mancipia, qui peccati servi extiteramus, jam è faucibus damnationis hujus & è dominio peccati eripimur, nec eripimus saltem, sed & cœlestis beatitudinis dono locupletamur, maioremque perditâ justitiam in Filio Dei, qui nobis donatur, nanciscimur & in suave cum Deo, quo excideramus, commercium inque cognitionem hanc cœlestem cum ipso Dei Filio sic descendimus. Magnus certè ut sit, oportet, & immensus amor ille, quo impulsus misericordiarum Pater unigenitum suum Filium pro nobis dedit & ut nobis parceret, ipsi non pepercit, magnus & amor ille, quo actus Filius, relictâ, quam apud Patrem ab æterno habuerat, gloriâ humilem sibi & nostram carnem induit, ut suâ nos gloriâ, quâ nos indignissimos reddideramus, vestiret atque redimiret. Intelligitis, ut arbitror, *dilectissimi*, ex hoc ipso, quod jam dicere incipimus, quanta ex incarnatione & nativitate Domini bona, quanta gloria, quanta felicitatis inenarrabilis copia, quanta benedictionis divinæ seges, quanta salutis omnigenæ & cœlestis messis in nos proficiscatur. Immensus est profectò beatitudinis cœlestis & bonorum præstantissimorum mare, quod heic in nos effunditur & cuius unica

gutta

* Cæsar, dial. 3.

gutta omne terrenarum quarumvis voluptatum mel infinitis para-
 fangis supergreditur. Sic enim, ubi Christus jam natus est, inter Deum
 & homines pax facta, & nos cum Deo reconciliati, & compedes
 damnationis æternæ, quibus ligati incedebamus, soluti, & vietus, qui
 nos captivos detinebat, Diabolus, & jugulata peccati, cuius servi ex-
 stiteramus, rabies, & nos, qui filii iræ fueramus, in filios Dei adopta-
 ti, & lux tenebris, in quibus cubabamus, cœlestis affusa, & adjutorium
 Spiritus S. quo macti renascimur & convertimur & sanctificamur &
 ad vitam meliorem ducimus, nobis partum, & Dei Filius frater no-
 ster animæque nostræ sponsus (at quanta quæso & quam insignis hæc
 gloria nostra est!) factus, & vita mortuis reddita, & jus ad hæreditatem
 cœlestem nobis datum, & nos cum Deo uniti, & caro nostra in excelsum
 divinitatis fastigium evecta, & totus mundus, sublatâ, quâ laborabat,
 maledictione, restauratus & renovatus fuit. Nascitur quippe Christus,
 ut nascendo corruptam redireget naturam, infantiam suscipit
 ille, percurrit ætates, ut unam, perteat, manentem, quam ipse fe-
 cerat, instauraret ætatem, portat hominem, ne jam cadere homo
 possit, quem terrenum fecerat, fecit esse cœlestem, animatum hu-
 mano spiritu spiritum vivificat in divinum & sic eum totum tollit in
 Deum, ut in eo, quod peccati, quod laboris, quod doloris, quod ter-
 ræ est, nil relinquit,, * Jam verò non hæc saltem bona ista sunt,
 quæ ex incarnatione Dominicâ manant, sed & illud est præstantissi-
 mum, quod inde in nos derivatur, bonum, quod, qui incarnatus est Sal-
 vator, & viam salutis, quam ignoramus, revelat nobis doctrinâ suâ
 & ipse excellentissimum nobis virtutis omnigenæ exemplum in vitâ
 suâ exhibet. Nec verò jam est, quod prolixius hæc omnia diduca-
 mus, ubi ad finem prona labitur oratio nostra, & ubi ad officia ex
 meditatione nativitatis dominicæ fluentia vobis inculcanda sermo
 hic ut se vertat, temporis ratio exposcit. Intelligitis verò ipsi,
 O mei, qui, quantum in Salvatore recens nato felicitatis pondus
 situm sit, intelligitis, quæ vobis jam incumbant, officia, quibus &
 qualibus & quantis modis venerari infantem hunc Jesum, cuius na-
 tivitas

* Pet. Chrysol.

tivitas jam celebranda nobis venit, & colere & prosequi debeatis. Itane ergò licebit jam pietati vestra, licebit jam vobis, quos in confortium gaudiorum nostrorum statim sub initium hujus orationis nostræ vocavimus, licebit, inquam, jam vobis incarnationem Domini ejusque mysterium summum meditantibus, indifferentem animo & mente à cœlesti illo, quo nos jam perfundimur, affectu vacuâ sacræ hyscæ nostris assistere? Prorsus non existimaverim. Etenim „Salvator noster, *dilectissimi*, & nobis natus est. Gaudemus. Neque enim locum fas est ibi esse tristitia, ubi natalis est virtus, quæ consumto mortalitatis timore nobis ingerit de promissâ æternitate lætitiam. Nemo ab hujus alacritatis participatione secesserit, una cunctis lætitia communis est ratio, quia Dominus noster, peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam. Animetur mortalis, quia vocatur ad vitam.”^{*} Ubi vero jam gaudia ista cœlestia mentibus vestris infundere proprius conamur, quam, quæsumus, optamus, solida illa vobis ut contingant, nullâ voluptatis carnalis larvâ, nullo cæco lætitia mundanæ impetu corrupta & vitiata. Verum est, lætitia tempus est, quod agimus, nemo enim facilè jam tristis est, jubila sunt, quæ inter nos resonant. Sed quæ, ais, jubila? Christiane. Num spiritualia illa & cœlestia, qualia Angelorum cœtus celebrat, qualia & pietatis præstantissimo Salvatori debitæ ratio à nobis exposcit? At vero nemo est, ad hanc cœlestem solidamque lætitiam, ad gaudia ista & jubila divina adspicere qui possit, nisi qui mentem cœlitus versam & renatam & sanctificatam & Jesuli nostri, infantis recens nati imitricem habet. Capitis, ut arbitror, *dilectissimi*, quid velim dicere & quis sermonis hujus mei præcipuus scopus existat. Etenim, qui ad celebrandam nativitatem Domini jam curritis, qui ad tantum mysterium meditandum animos vestros jam appellitis, qui veræ felicitatis & beatitudinis succum ex incarnatione Dominicâ trahere jam anhelatis, meminisse vos oportet, terrenarum mentium

C

tium

* Ita Leo M. serm. i. in nat. Domini C. i.

tium infirmas quasvis ac imbecillas opiniones esse abjiciendas no-
 vique & regenerati ingenii sensibus opus esse, ut exultandi in re-
 cens nato Salvatore vobis argumentum suppeditat. Qui enim sub
 dominio voluptatum carnalium constituti sumus, qui mundum
 cum illecebris suis adamamus, qui in omne genus vitorum effuso
 pectore prava voluntati, quæ Deum odit, frena laxamus, næ pro-
 fectò indignissimi sumus & ingratissimi mortalium, qui in partem
 cœlestis illius lœtitia bonorumve spiritualium, quæ larga nobis &
 præstantissima nativitas Salvatoris exhibit, veniamus. Ita vi-
 detis, *O mei*, venisse in mundum incarnatumque esse Salvatorem,
 nos ut, qui naturâ peccati servi existimus, à peccato, à diabolo,
 à morte, à damnatione liberemur. Hæc si accuratè mente pen-
 sitemus, perperam utique facimus & insigne judicium malorum
 que omnium horrendum pelagus nobis attrahimus, ubi contem-
 tā, quam Salvator nativitate suâ nobis acquisivit, gratiâ peccatis
 inhiare pergimus, & spredo tanti Salvatoris jugo, quod leve, quod
 facile portatu, quod & dulce & amœnum & jucundum est, con-
 cupiscentiaræ pravae jugo porrò colla imprudentia & infelicissima
 subdimus nec liberari à misero isto & peccaminoso vivendi gene-
 re inque libertatem filiorum Dei asseri nos patimur. Ita porrò
 facilè capit is, *dilectissimi*, abnegâsse divinam, quâ vestitus erat,
 gloriam Redemptorem optimum, ut & nobis exemplo esset, quo
 incitati in abnegationem mundi hujus & quicquid ille vanitatis
 secum vehit, prompti & alacres descenderemus. Næ verò is, qui-
 cunque amore mundi adhuc onustum peccatus gerit atque illo ine-
 briari se patitur, gratiam per Redemptorem sibi partam pedibus
 conculcat, & qui similis isti evadere heic recusat, spe beatitudi-
 nis per ipsum partæ prorsus quoque excidit. Et verò insanî oppi-
 dò sumus mortales, qui nostra bona non novimus & impia profa-
 nâque mente gratiam divinam, quæ tam larga & tam prolixa nobis
 heic exhibetur, miseri spernitus & profanamus. Pauper appa-
 ruit Salvator in mundo, vix habens, quò caput reclinaret. Nos
 divitias cœlestes angustiamque illam hæreditatem adipisci nos
 posse

posse miseri & vani credimus, ubi opibus hujus mundi, ubi avaritiæ, ubi commoditatibus vitæ hujus tanquam summo, quod nos manere possit, bono inhibamus. Humilis apparuit Salvator, & qui totius mundi est Dominus, præsepi includi se passus est. Et nos misera vexat ambitio & glorie carnalis sacra fames, quâ acti tûm demum beatos nos esse existimamus, ubi honoris mundani pompa & splendore circumfusos nos atque in alcum elevatos conspiciimus. Tenui viðu, melle ac butyro enutritus ille idem est, ut temperantia, ut abstinentia exemplar nobis existeret? Quotus quisque verò est nostrum, qui & ad idem virtutis exemplum vitæ suæ rationem inflectat? Nostis, *Auditores*, quid mentibus nostris Paulus Apostolus insinuet, ubi ad Titum verba illa scribit, quorum vim crastinâ luce plebi sacrâ orator facer exponet. *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, & quo fine, quæso, apparuit?* ut doceat nos, ut abnegantes impietatem omnem & mundanas cupiditates sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo. Habemus hic, *O mei*, in compendio officia illa, quæ hodie incumbunt nobis, ubi animos nostros ad nativitatis Dominicæ meditationem præparare nostra pietas anhelat. Natus est nobis Salvator, ut spirituali animorum nostrorum renascentiâ similes ipsi evadamus. Neque enim dignè ac intelligenter diem dominicæ nativitatis celebrabimus, nisi meminerit quisque, cuius corporis ipse membrum evadere debeat & cui capiti coaptatum, ne sacræ ædificationi discors compago non hæreat. Considerate, *dilectissimi*, & secundum illuminationem Spiritus Sancti diligenter advertite, quis nos in se fulceperit & quem nos suscipere debeamus in nobis, quoniam, sicut factus est Dominus caro nostra nascendo, ita & par est, ut nos siam ipsius renascendo,* O verò quam beata, quam auspicata, quam lata, quam magna nobis futura esset hæc nativitatis Dominicæ dies, si & eadem spiritualis renascentiæ nostræ dies evaderet nobis, &, quæ Filium Dei natum nobis sicut, nos Filios Dei novâ cåque spirituali nativitate factos eadem exhiberet. Felix profecto esset & in æternum fortunata hæc salutis nostræ & novæ vitæ epocha,

C 2

quâ,

* Verba sunt Leonis M. iij. ferm. 3. in nat. Dom. C. 5.

quā, quoties anno in gyrum redeunte nativitatem Salvatoris
 recolimus, toties quoque memoriam nativitatis nostrae spiritualis
 & renascentiæ illius nostræ, quæ desursum est, recoleremus atque ce-
 lebraremus. Et verò præsens est jam salus hæc nostra, opus saltem
 est, ut pectora nostra hient, ut salutem hanc apprehendant, ut
 gratiam Salvatoris summi illabi sibi patientur, ut bonitatem ejus
 gustent, ut infantem Jesulum querant, ut quæsitum inveniant, ut
 inventum adorent, ut adoratum suscipiant, ut susceptum reti-
 neant & in scribiis intimisque medullis suis recondant & millenis
 basiorum millibus, amore nunquā interrumpendo, infinitis mo-
 dis eundem exosculentur. Eja, adest jam, *O mei*, acceptum & ju-
 cundum illud tempus, adest jam beata illa salutis dies, quā cœlum
 nobis donatur, quā mundi Dominus, quā Christus Salvator, cuius
 peculium sumus, in nostrum transit. Prætereat, quæsumus, tene-
 brarum & præjudiciorum carnalium veterum nox, & dies nova &
 spiritualis jam nobis illucescat. Non obtegant in posterum tene-
 bræ terras nec caligo gentes, sed illucescat nobis cœlestis ille
 Phosphorus, quem anhelamus, & claritas ipsius nos ampla cir-
 cumfulgeat. Et quidest, quælo, *dilectissimi*, quod moras jam necti-
 mus, ubi Salvator præstantissimus, ubi infans Jesulus ille ante por-
 tas peccatorum nostrorum hic stat atque exspectat, donec aperiamus? Næ vero ingratissimi & pessimi mortalium sumus, nisi Prin-
 cipem gloriæ confessim jam immittamus, nisi tanto Regi venera-
 bundi & supplices jam advolvamur, nisi brachium Domini, quod
 magnâ cum potentia & vi verticordiâ summâ, quod magnâ cum
 dulcedine & suavitate nobis peccatoribus jam sele conspiciendum
 præbet, illico exosculemur, nisi hiantibus animorum nostrorum
 fauibus gratiam hanc, quæ nobis communicatur, jam excipia-
 mus & gustemus, nisi cum hoc animæ nostræ Sponso pulcherri-
 mo fœdus perpetuum ineamus ipsique seriâ mente & in firmissi-
 mum nervum constricto voluntatis nostræ proposito polliceamur,
 nolle nos in posterum peccare amplius, nolle nos amplius mun-
 do & peccato & Diabolo & carni nostræ, quæ in barathrum
 damna-

damnationis æternæ præcipites nos agit, servire, velle nos perpetuo sacramento addicatos ipsi esse, jurare jam nos in ipsius verba, quæ servare nos velimus eamque mentis puritatem nobis induere, eam conversationis præstantioris rationem sequi, quæ ipsi certissimè arrisura calculumque ipsius & approbationem plenariam adeptura sit, uno verbo, velle nos Iesum Salvatorem, infan-tem hunc, quo pulchriorem & præstantiorem nec tellus vedit nec cœlum adpexit, perpetim & in omnes æternitatum æternitates omnibus viribus nostris amare, suspicere, colere, venerari, exosculari, adorare. Quid itaque, quælo, sic restat nobis, *dilectissimi*, queis tām beata jam transmantatio contingit, quorum animis tan-ta tāmque insignis & tām salutifera lux defusum jam affulget, quām ut pedibus hisce nostris mundum hunc cum omnibus vanitatibus & pompis suis proculcemus, quām ut nuncium jam omnibus desideriis nostris carnalibus, quæ mortem gignunt, quæ dolor-sa quidem dulcedine blandiuntur primum sed mox intolerandā amaritudine palatum nostrum vexant, ut, inquam, nuncium omnibus carnalibus desideriis nostris mittamus, ut vale quibusvis voluptatibus nostris dicamus, ut mentem, ut cor eō dirigamus, ubi thesaurus noster est, atque in cunis Salvatoris ac in prælepi, in quo iste jacet, salutem nostram quærentes, quem adoramus & colimus & veneramur, iugi quoque virtutum studio alacres per-petim imitemur. Id quod exequi ut valeamus, ad te nunc subfinem orationis hujus nostræ accedimus, *suavissime JESU, dilectissi-me animarum nostrarum Sponse & præstantissime Salvator, & qui à laudibus tuis dicendi initium fecimus, jam sub finem hujus sermonis nostri easdem laudes tuas ex intimis pectorum nostro-rum recessibus & medullis repetimus.* Etenim dignum & ju-stum est, verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, quòd, qui Deus in excelsis es, non deditgnatus fueris naturæ nostræ fragilitatem in consortium divinitatis tuae suscipere & nos, quos sub peccati jugo vetusta te-nebat servitus, novâ per carnem nativitate liberare. Tibi itaque,

O sum-

O summe & aeternæ Deus, tibi, Redemptor maxime, tibi, o divine Puer
 & frater noster, advolvimur jam supplices, coram te in genua pro-
 cumbimus, tuam jam evehimus gratiam, tuam misericordiam,
 tuam bonitatem, tuam humanitatem, tuum amorem exosculamur,
 cuius profundissimam abyssum & inexhaustum mare per nativita-
 tem tuam in nos largissimo fluxu effundere dignatus es, & colle-
 ctis in unum mentium nostrarum viribus, te colimus, te adora-
 mus, te extollimus, te magnificamus tibique hoc laudis nostra sa-
 crificium piâ mente atque ardente pectori in odorem suavitatis
 offerimus. Quid verò jam est, quo gratitudinem nostram tibi, O
 excelsæ Rex, O suavissime animarum nostrarum, O incomparabilis Redem-
 tor, significatam demus? Eja, accipe jam eorū hoc nostrum, qui
 Rex cordium es & qui in peculium tuum, in servos tuos nos acqui-
 sivisti, accipe, quæsumus, pectora hæc nostra, quæ tota tibi conse-
 cramus tibique in proprietatem sempiternam sine ullâ exceptione
 ac reservatione tradimus, & fac, ut mundus, cui haec tenus maximo
 cum malo nostro servivimus, in posterum nobis in perpetuum for-
 deat, ut peccatum nobis penitus inamare scat, ut aeterno voluptati-
 bus nuncio missio tibi per totum illud, quod in carne agendum adhuc
 nobis restat, tempus in justitia & sanctitate serviamus, ut, qui nativi-
 tatis tuæ luce in terris collustramur, ejus quoque gaudiis in celis
 olim perfruamur laudesque tuas & majestatem cum Angelis &
 Archangelis & dominationibus & potestatibus & sanctis Seraphim
 sociâ exultatione beati concelebremus, cum quibus & nostras
 jam voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione
 exclamantes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus,
 Deus exercitum! Pleni sint coeli & terra gloria tuâ!
 Gloria in excelsis Deo & in terra pax & in homi-
 nibus beneplacitum! Hosianna Filio David!
 Benedictus, qui venit in nomine Domini,
 Hosianna in excelsis!


D I X I.

345



76 4517

X 2284234



CHRISTOPH.MATTHÆIPFAFFII,
S. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARIUS,
PRÆPOSITI ET CANCELLARII TUBINGENSIS
g.
7
H O M I L I A
DE
NATIVITATE
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI,
IN VIGILIIS NATIVITATIS DOMINICÆ
A. MDCCXXI.
IN SENACULO ACADEMICO TUBINGENSI
CORAM PATRIBUS CONSCRIPTIS
ET ACADEMICORUM UNIVERSITATE
RECITATA,
quam
SUB EJUSDEM PRÆSIDIO
CHRISTOPHORUS JACOBUS GUTERMANNUS,
Biberacensis,
Philosophie Magister & sacrarum literarum Cultor
IN AUDITORIO JURIDICO
ventilationi publicæ sicut.
W. 194.

T U B I N G A E
literis Viduae JO. CUINRADI REISIL.
A. MDCCXXII.

